Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5026
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png">

-cut: thesaurum non deficientem in celis: quo fur non appropiat. neque tinea corrumpit. Ubi enim thesaurus vester est: ibi et cor vestrum erit. Sint lumbi vestri precincti et lucerne ardentes: et vos similes hominibus expectantibus dominum suum quando revertatur a nuptiis: ut cum venerit et pulsaverit confestim aperiant ei. Beati servi illi quos cum venerit dominus invenerit vigilantes. Amen dico vobis: quod precinget se et faciet illos discumbere: et transiens ministrabit illis. Et si venerit in secunda vigilia: et si in tercia vigilia venerit. et ita invenerit beati sunt servi illi. Hoc autem scitote quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur veniret vigilaret utique et non sineret perfodi domum suam. Et vos estote parati: quia qua hora non putatis filius hominis veniet. Ait autem ei Petrus. Domine ad nos dicis hanc parabolam an et ad omnes. Dixit autem dominus. Quis putas est fidelis dispensator et prudens: quem constituit dominus super familiam suam ut det illis in tempore tritici mensuram. Beatus ille servus: quem cum venerit dominus invenerit ita facientem. Vere dico vobis: quoniam super omnia que possidet constituet illum. Quod si dixerit servus ille in corde suo. moram facit dominus meus venire: et ceperit percutere servos et ancillas: et edere et bibere et inebriari: veniet dominus servi illius in die qua non sperat et hora qua nescit et dividet eum: partemque eius cum infidelibus ponet. Ille autem servus qui cognovit voluntatem domini sui et non preparavit: et non fecit secundum voluntatem eius. vapulabit multis: qui autem non cognovit. et fecit digna plagis vapulabit paucis. Omni autem cui multum datum est multum queretur ab eo: et cui commendaverunt multum: plus petent ab eo. Ignem veni mittere in terram: et quid volo nisi ut accendatur. Baptismo autem habeo baptizari. et quomodo coartor usque dum perficiatur. Putatis quia pacem veni mittere in terram. Non dico vobis sed separationem. Erunt enim ex hoc quinque in domo una divisi: tres in duo et duo in tres dividentur. pater in filium et filius in patrem suum. mater in filiam et filia in matrem: socrus in nurum suam et nurus in socrum suam. Dicebat autem ad turbas. Cum videritis nubem orientem ab occasu statim dicitis nimbus venit et ita fit: et cum austrum flantem dicitis. quia estus erit et fit. Hypocrite faciem celi et terre nostis probare. hoc autem tempus quomodo non probatis. Quid autem et a vobis ipsis non iudicatis quod iustum est. Cum autem vadis cum adversario tuo ad principem in via da operam liberari ab illo: ne forte trahat te ad iudicem. et iudex tradat te exactori: et exactor mittat te in carcerem. Dico tibi non exies inde donec etiam novissimum minutum reddas.

Ca. xiij

Aderant autem quidam ipso in tempore nunciantes illi de galileis: quorum sanguinem pilatus miscuit cum sacrificiis eorum et respondens dixit illis. Putatis quod hii galilei pre omnibus galileis peccatores fuerint quia talia passi sunt Non dico vobis. sed nisi penitenciam habueritis omnes similiter peribitis sicut illi decem et octo supra quos cecidit turris in siloe et occidit eos: putatis quia et ipsi debitores fuerint preter omnes homines habitantes in ierusalem. Non dico vobis. sed si non penitenciam habueritis omnes similiter peribitis. Dicebat autem hanc similitudinem. Arborem fici habebat quidam